



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roma Gloriosa, oder Das Glorwürdige Rom In seinen
Zweyhundert Drey vnd Viertzig Bäpsten. Daß ist/
Römische Bäpst/ angefangen von S. Peter Biß auff den
heutiges Tags glorwürdig regierenden vnseren ...**

Ott, Christoph

Ynsprugg, 1676

Celsissimo Et Reverendissimo S. R. I. Principi Ac Domino, Domino
Maximiliano Gandolpho, Ex S. R. I. Comitibus De Khüenburg,
Archiepiscopo Salisburgensi, S. Sedis Apostolicæ Legato Nato, Germaniæ

...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72277](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72277)



CELSISSIMO

ET

REVERENDISSIMO

S. R. I. PRINCIPI

DOMINO, DOMINO

MAXIMILIANO

GANDOLPHO,

EX

S. R. I. COMITIBUS

DE KHÜENBURG,

ARCHIEPISCOPO

SALISBURGENSI,

S. SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO NATO,

GERMANIÆ PRIMATI &c. &c.

DOMINO, DOMINO

MEO CLEMENTISSIMO.



PONTIFICES edidi, difficili satis partu, Celsissime, & Reverendissime PRINCEPS: nunc PONTIFICEM quæro, cui hos PONTIFICES meos Dedicem, & tuendos commendem.

PONTIFICES non alios, quàm SUMMOS edidi. Uni itaque ex inferioribus Pontificibus Dedicare me illos par non est; unus mihi ex summis quoque quærendus

★ 2

erat.

DEDICATIO.

erat. Utrumque hoc in Reverendissima CELSITUDINE Vestra abunde reperio, & PONTIFICEM nimirum, & Unum ex SUMMIS, quia OPTIMUM. Verissimè enim à Viro magno dictum arbitror: *Inter homines pro SUMMO est OPTIMVS.*

Rursum, PONTIFICES evulgavi, sed non alios, quàm qui Pontificum essent Pontifices, & PATRUM PATRES. Talem ego quoque Patronum deligendum Operi meo statui, Talemque in Celsitudine Vestra Reverendissima invenio, quia ARCHIEPISCOPUM; quod vocabulum Græcum cum sit, si Latinè vertam, sonat mihi PRINCIPEM EPISCOPORUM. Talis ergo mihi, non alius quadrat.

PONTIFICES emisi in lucem, qui inter omnes per totum mundum sparsos Pontifices, sive Episcopos, PRIMAS tenent. His quidem ex toto similem fas non est reperire: Phoenix enim in hoc Romanus Pontifex est: talem tamen reperire fas est, qui gradu, suo modo, proximus sit, hoc est, qui PRIMAS in vastissimo aliquo Imperio obtineat, uti Celsitudo Vestra obtinet, latissimi IMPERII nostri Romano-Germanici PRIMAS longè Dignissimus; quæ Primatûs Ecclesiastici Dignitas, supra reliquas omnes, Patriarchatu excepto, effert caput.

Denique PONTIFICES Romanos hoc in Opere produco, plerosque omnes tales, quales format Apostolus in suâ ad Titum; qui *sine crimine erant, utpote DEJ Dispensatores, non superbi, non iracundi, non vinolenti, non percussores, non turpis lucri cupidi; benigni, sobrij, justi, sancti, continentes, amplectentes eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potentes essent exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Talem non ego, quis enim ego? sed *Vox Populi*, quæ ex ore DEI procedere, antiquissimâ fide, creditur, passim Celsitudinem Vestram esse pronuntiat. Huic ego Voci, tantum habenti divinitatis, cur non credam? sanè enim sapientissimè, me quidem iudice, dixit ille, qui dixit: *Vulgus, sive Populus malè vivit, sed bene judicat*: quod de Principibus maximè, verissimum est. Neque indicium Optimi Principis aper-

D E D I C A T I O.

apertius ullum est, quàm, *subjecti Populi sonorus Plausus in Principis vita, singultus autem & ipse sonorus in morte.*

Dixi Romanos me Pontifices producere, plerosque omnes Paulinæ regulæ, normæque congruentes; *continentes, justos, sobrios &c.* Plerosque omnes dixi; non dixi: *Omnes.* fuere enim inter illos (quod neutiquam hoc Opus meum dissimulat) quidam non continentés, sed ex tanto numero paucissimi: aliqui etiam parum justí; sed qui vix numerum faciant: non benigni, non hospitales nonnulli &c. sed qui in tanto horum summorum Præfulum Populo vix agnoscantur. Ad hæc talibus vitijs ac fordibus, illorum planè neminem commaculatum fuisse audenter pronuntio, qui legitimè in Pontifices electi, Petri Cathedram inierunt, sed eorum tantummodo aliquot, qui auro, quàm Tholosanum sit, multò nocentiore succollante, irruerunt non semel, atque in altum sublatis sunt, ut casu reciderent graviori. Tantum verò abest, ut atræ hæ maculæ paucorum, Ecclesiæ Romanæ faciem defoedarint, stigmave inusserint, ut pulchriorem etiam reddiderint, & gloriosiore. *Umbra pulchritudinem addunt picturæ, non adimunt, & Carbunculi nunquam pretiosius, splendidiusve, quàm è densioribus tenebris relucent.* Sed ad Reverendissimam Celsitudinem Vestram redeat oratio.

Paulò ante, de Voce Populari coepi dicere, quæ præconium publicum, ab omni quidem adulatione alienum, Celsitudini Vestræ faceret. Id autem ut meus etiam Lector intelligat, mea interest, ut probet scilicet consilium meum, Reverendissimæ Celsitudini Vestræ, præ tot alijs Celsissimis, foetum hunc meum, ceu meritissimo, destinantis.

Ajunt ergo incorrupti Præcones hi, (subditos Salisburgenses intelligo) Archiepiscopum suum, Sedis Apostolicæ *Legatum esse Natum; Principem verò ab ipsa natura Factum.*

Ajunt ulterius, Præsulem Suum Reverendissimum, *Ædificatorem esse Sepium*, quod præcipua in laude Evangelicus Prophetæ ponit, *IIa. 58.* quibus *Sepibus* rectissimè Tempora, verbo quidem rustico & humili, altissimo tamen, & civilissimo sensu

D E D I C A T I O .

conferuntur. Ut enim sepes hortum & muniunt, & ornant, & bestiarum arcent incurfus, ita Tempa DEI Ecclesiam. Talem verò *Ædificatorem* esse Celsitudinem Vestram, ajunt testari Tempa quatuor, quæ pede jam stant firmo, & quintum, quod paulò post stabit; idque sumptu quidem magno Celsitudinis Vestræ, sed quæstu contra longè maximo, animarum nimirum, qui sumptus hos omnes incomparabiliter compensat.

Testantur hoc idem (Populi rursus Vox est) Parochianæ Domus plures noviter exstructæ, quæ scripturariâ phrasi Pastophoria, Solymæis illis æmula, appellare liceat, Sacerdotum scilicet & Levitarum multò præstantiorum, quàm Salomonici illi erant, Domicilia: Testantur & Veteres reparatæ, & aptissimis, quibus carebant ante, Curionibus modò commissæ Parochiæ, novi autem Vicariatus, uti vocamus, Decem admodum adjecti, Monticularum potissimum bono, eoque æterno, ne inter silvas suas Præsidijis his tantis destituti, & ipsi silvescerent, ut fieri amat, & in rupes inter rupes suas, malo suo æterno, indurescerent. Omni verò laude superiorem esse ajunt, illam plus quàm paternam, assiduamque sollicitudinem, quæ Infantia, & Pueritia suæ à Celsissimo suo impendatur, ut in Scholis quidem prima litterarum, in Catechismis autem Salutis, in Officinis denique prima opificiorum elementa, raris his tabulis imprimantur, supplente ærario Principali, quod pauperulis Parentibus sæpe in sumptus ejusmodi deesse solet.

Et Scholæ quidem Alumnos hos suos ex semi-hominibus humanos, Catechismi ex semi-Ethnicis Christianos, opificia demum rectè imbibita cives Reipublicæ utiles, ex otiosis fungis, efficiunt, & ex fucis argumentosas apes.

O pecunias rectissimè occupatas! O honestissimum usuræ genus, cum vile metallum foenoris loco, salutem subditis, Gloriam verò immortalem Principi parit! Hoc est demum, hoc est Præsulem agere, Tempa, quæ nec vivunt, nec sentiunt, vivo tamen DEO & vero, multò autem maxime viva & intelligentia Tempa, quæ sunt subditi, eidem Numini totâ passim Diocesi suâ erigere, restaurare, ornare, testaque & sarta conservare. Hoc est Pastoris partes, sub supremo Pastore Christo, exequi, illudque Domini, in Petri Persona, Pastoribus omnibus bis inculcatum implere: *Si amas me, Pasce Agnos meos*; ubi per Agnos tenellos, tenera puerorum & puerarum ætas, ut Interpretes docent, intelligenda venit.

Vox

D E D I C A T I O.

Vox Populi & illud auribus nostris insonat : Nobilissimo, & Illustrissimorum, ac Generosissimorum S. R. I. Comitum de Khüenburg stemmate orto se gaudere Principe, sed qui ex Culmine tam alto nullum infra se positum, ne abjectissimum quidem despiciat, fastidiat neminem; sed omnibus hanc quoque Celitudinem suam benignissimè inclinet, & nec aditum, nec aurem, nec manum cuiquam neget, verum illum, illamque apertas seruet omnib⁹, propriam verò manum ad cuiusvis generis libellos miserorum supplices, hilari, clementique vultu exporrigat; quò fiat, ut latè quoque exporrectis cordibus animisque in amorem, tam blandè habiti subditi, Principem vicissim suum amplectantur. Unde illæ voces: *Vivat, & provivat humillimus Celissimus noster!* Ut Palma floreat! ut Cedrus Libani multiplicetur! Lapsus è Cœlis nobis est, peculiarissimo scilicet Numinis favore indultus. In Cœlum, sed serò redeat, ibi ob tot temporanea, quæ in nos confert, bona (quæ felicem tamen æternitatem pro scopo habent) æterna possessurus. Huic Populari voci, ceu suavissimæ omnium Musicæ, Ego quoque: *Vivat* illud, & *Provivat!* lætissimus succino, unicum illud ad extremum quàm demississimè orans, ac obtestans, ut Celitudo Vestra Reverendissima, Pontifices fidenter Sibi à me commissos, unaque scriptorem, quin & Eiusdem longè dilectissimam MATREM, Societatem JESU, quæ præ alijs, CELSITUDINEM hanc SUAM lætissimis oculis suspicit, lanceo quidem, nec minùs tamen pretiosissimo Archiepiscopali PALLIO Suo tegere semper, & Protegere Clementissimè dignetur. Halæ ad Oenum, 26. Augusti 1676.

REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS
VESTRÆ,

Humillimus in Christo Servus,

CHRISTOPHORUS OTT
è Societate JESU.